

enigmati q̄i in hac t̄ta in d̄u.

pat. s̄ nō potat p̄fic̄ in m̄ u



XIX

SCIPIONIS

GENITALIS

JURISCONS

DISPUTATIONVM

AND

AFRICANVM

UNDECIMA

Ab I. qui balneum D. qui portor in pign.

De qua

A. P. O. etc.

publice respondit

WOLFGANGUS ERICUS

à Brandebourg Ed. Miln.

In celeberrimo Universitate Academiæ quæ est Altdam.

Christoph. Dietrich


Anno

1713

NORIMBERGÆ

Typis Abrahami Wagnerianis.





Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO

A D

*L. qui balneum. 9. D. Qui potior. in
pign. hab.*

THESIS I.

DUÆ sunt in difficillima & perplexa materia pignorum maximè illustres & subtiles quaestiones. *Una de Prælatione, Altera de Successione in locum priorum creditorum.* Ultraque in hoc Africani responso continetur. Ultramque nos paulò generalius hac disputatione explicabimus.

II.

Igitur in priori hæc regula tradita est, *Prior tempore, potior jure.*

III.

Hæc regula de Creditoribus pignoratiiis solum intelligenda est, inter quos sapèlis exoritur, uter alteri præstet in jure pignoris, quod in re ejusdem debitoris acceperunt.

IV.

Ad Chirographarios, vel etiam ad privilegiarios non

A 2

perti-

pertinet. Sed in illis locus est præoccupationi, in his privilegio, quod *πρωτοπραξία* Plinius in Epistola ad Trajanum, & alii vocant.

V.

Priorem tempore cum dicimus, creditorem intelligimus, qui prior pignus est consecutus; non qui prior credit, vel contraxit: tamen & hoc requiritur ad prælationem, l. potior, in pr. ff. h. t.

VI.

Potest quidem pignus, ut & fidejussor futuræ obligationi accedere: sed non tribuit hæc res jus prælationis, nisi & contractus, cui accessit, præcedat, perfectusque antè fuerit.

VII.

Convenit, ut mutuam pecuniam tibi darem, pignusque accepi, vel traditione vel conventionem nudâ: deinde Titius tecum contraxit, puta vendidit tibi aliquid, pignusque in eam rem accepit: postea ego numero. Titius me potior est: Vindicabitque etiam traditum mihi pignus; d. l. potior, l. pen. ff. Quæ res. pign. l. qui pecuniam, ff. de reb. cred.

IX.

Ratio est, quia mutuum re, id est numeratione, non conventionem contrahitur, antequam etiam licet promittere: neque enim vel ego obligatus ad numerandum sum, neque tu ad accipiendum. d. l. potior, l. i. ff. de O. & A.

IX.

Sed si stipulatio accessit, erit ex stipulatu in id quod interest. Sin, erit de dolo, si is arguatur, l. dolus, C. de dol. mal. l. 68. ff. de V. O.

Con-

X.
Contraria ratio est, si pro muliere dotem promiseris marito, & de eâ restituendâ tibi pignore caveris, eamque per partes solveris. Nam licet post alterius contractum & pignus, partem dotis solveris: in totum pignus potior eris, & pro universâ dote. Cujus universæ obligatio ab initio contracta fuit, l. i. ff. h. r.

XI.
Contraria etiam ratio in speciebus hîc ab Africano propositis, in Creditore, inquam, in diem, in Creditore conditionali, in legatario conditionali.

XII.
Locasti Titio, puta domum, vel balineum ex Kalend. cc Julii proximis, pignusque accepisti: vel pactus es, ut homo cc Eros tibi pignori esset: deinde alius purè Titio pecuniam cc credidit pignore eodem accepto. tu potior es. Quare & ad- cc versus alium creditorem antè Kal. Julias pignus petentem cc Prætor tueri te debet. cc

XIII.
Nec mirum. Licet enim eo tempore homo Eros pignori datus esset, quo nondum quicquam pro locatione deberetur: quoniam tamen jam tum in ea causa Eros esse cœpisset, ut invito locatore jus pignoris in eo solvi non possit, potiozem ejus causam habendam.

XIV.
Amplius etiam (inquit Africanus) sub conditione creditorem tuendum adversus eum, cui postea quidquam debere cœperit, licet conditio postea extiterit: & pendente ea, nullâ nascatur obligatio.

XV.
Existente enim conditione, retroducitur obligatio ad

tempus contractus: sive perinde habetur, ac si illo tempore, quo contractus sub conditione initus est, pure factus fuisset. d. l. potior. ubi gloss. allegat.

XVI.

Hoc tamen ita temperat Africanus, si modo non ea conditio fuerit, quæ invito debitore impleri non possit.

XVII.

Sed et si, inquit Africanus, heres ob ea legata, quæ sub conditione data erant, de pignore rei suæ convenisset, & postea eadem ipsa pignora ob pecuniam creditam pignori dedit, ac postea conditio legatorum, extitit, hic quoque tuendum eum, cui prius pignus datum esset, existimavit.

XVIII.

Convenisset, inquit; hoc est, sive sponte & ultrò, sive petente legatario ex Edicto, ut legatorum seu fidei commissorum nomine caveatur.

XIX.

Data erant inquit, sub conditione, ea scilicet, quæ in potestate heredis non erat, ut supra in creditore conditionali diximus.

XX.

Quod si in heredis vel alterius debitoris potestate conditio esset, vel an contractus perficiatur, contra dicendum est: non initium, sed tempus perfectionis spectari oportere. Cui consequens est, ut secundus creditor potior sit. l. Titius. pen. ff. quæ res. pign. obl.

XXI.

Ratio quoque in legato eadem, quæ in contractibus, quia existente conditione perinde habetur, ac si ab iniuncto legatario

legatum purè fuisset, & deberi cœpisset statim à morte testatoris, ut exindè quoque pignus vel hypotheca contracta intelligatur. l. necessario. §. idem Pomponius, ff. d. perie. & comm. rei vend. d. l. potior. cum simili.

XXII.

Idem verò dicendum & in pignore Prætorio, si videlicet herede non satisficiente legatarii missi sunt in possessionem bonorum defuncti, quamvis cum eo certet posterior creditur, isque ex causa iudicati debitore condemnato iudiciale pignus consecutus sit. l. si decreto, 2. C. h. tit. l. 3. l. 5. C. ut in possess. leg. esse lic.

XXIII.

Cur *amplius*, dicat Africanus in creditore conditionali, quam in creditore in diem, aperta ratio est: quia creditor conditionalis pendente conditione non est creditor; ut creditor est is, cui in diem debetur. In hoc cessit dies statim, licet nondum venit; in illo neque venit, neque cessit. l. cedere, d. V. S. Et obligatio in diem collata est pura & præsens; petitio tantum & exactio in diem differtur, l. obligationum ferè, §. i. l. interdù, l. insulam, ff. de V. O. §. omnis, Instit. eod.

XXIV.

Sed cur *amplius* in Legatario conditionali, quam in creditore itidem conditionali? ratio duplex est. I. quia legatarius non ita propriè creditor sit, ut, is cui ex contractu debetur. II. quia legatarius de mero lucro certat, creditor de damno.

XXV.

Quid si bona defuncti æri alieno non sufficiant, & Legatis solvendis: creditores legatariis omninò præferuntur,

tur, quamvis purè legata iis data essent: quamvis creditores pignus nullum acceperint: quamvis denique legatarii pignus antea acceperint, quibus & ipso jure tacita hypotheca data est, Justiniani Constitutione. l. successores. C. ad L. Falcid. l. ult. §, etsi præfatum, C. d. jur. deliber. (quamvis non tam præferuntur hoc casu creditores, quam soli sunt. *Legatum enim non debetur, nisi deducto prius are alieno*)

XXVI.

Sed quid si creditor non heredis, ut hîc Africanus ponit, sed defuncti sit? & ejus crediti nomine pignus ei heres dederit? an legatarius conditionalis, cui antea idem pignus datû ab herede est, creditori in eo præferetur? Omnino, semper enim tempus spectamus non credendi, sed pignoris accipiendi.

XXVII.

Ad s. si Titia.

Altera pars hujus responsi pertinet ad jus successionis in locum prioris creditoris, & ad confirmationem pignoris.

XXIX.

Confirmari & convallescere pignus dicitur duobus modis, I. cum quod ab initio non valuit, postea valere incipit. Veluti si res aliena à debitore pignori data sit, deinde ea in bonis ipsius esse cœperit.

XXIX.

II. Cum pignus ab initio quidem & semper jure valuit, sed infirmum ob eam causam est, quod alius sit prior creditor in eodem pignore, qui obstat posteriori. Nam prior dimisso confirmatur pignus suum sequenti creditori.

Utrum-

XXX.
Utrumque genus in hoc responso ponitur. Cujus hæc est quaestio: *Mulier prædium quoddam alienum creditori suo Titio pignori dedit: post Mævio. Deinde prædii ejus domina facta; idem marito suo in dotem dedit, sed æstimatum. Si Titio pecunia soluta sit, quaesitum est, an pignus Mævii convalescit? Nam ab initio non valuit, cum res aliena pignori dari non possit, & si detur, frustra detur.*

XXXI.
Jam verò hoc vitium sublatum est, cum postea prædium illud mulieris esse cœperit. Ergò & pignus convalescit, ut supra dictum.

XXXII.
Alterum quoque vitium, quod alius hunc creditorem præcedat, sublatum videtur ex eo, quod priore illo jam dimisso ipse in ejus locum succedat, vel potius solus jam reperiat.

XXXIII.
Sed ne ita quidem convalescere Mævio pignus, Africanus ait: *quia nullum tempus invenitur, quo convalescere possit, neque tunc, cum Mævio obligaretur, neque tunc cum Titio solveretur. Cum neutro tempore pignus in bonis mulieris fuerit.*

XXXIV.
Nec refert, quod medio tamen tempore mulier prædii domina facta sit: quia præcedebat eo tempore Mævium Titius, ei que obstabat.

XXXV.
Quo tempore autem Titius prior creditor soluta ipsi
B pecu-

pecunia dimissus est, mulier non erat domina prædii, ut-
pote quod æstimatū marito dederat. quo genere contra-
hitur venditio: & pretium, non prædium, in dote est.
l. plerumque. §. si ante. ff. de jur. dot.

XXXVI.

Est enim æstimatio vera & perfecta venditio, sed cum
adjecto, puta dotis, vel donationis causa; undè differentiæ
non leves nascuntur inter eam, & simplicem venditio-
nem. Dixi in libello de Æstimat. rer. dotal. &c.

XXXVII.

Quæ causa est, cur Africanus maritum non empro-
rem, sed loco emptoris esse dicat.

XXXVIII.

Sed temperamentum superiori definitioni adjicit
Africanus. *Hæc tamen, inquit, ita sunt, si bonâ fide in dotem
æstimatum prædium maritus accepit, id est, si ignoravit Mævio
obligatum esse, nec quicquam in ejus necem fecit.*

XXXIX.

Quid igitur, si malâ fide accepit, an pignus Mævio con-
firmatur? Nequaquam: nisi hætenus, ut hypothe-
cariâ adversus maritum ei detur, ut opi-
nor, non adversus alios
possessores.



AD-

ADVERSUS INTER-
pretationem magni Jurisconsulti.

I.

Vellem addidisset, vel etiam Kal. Martias.) Nihil de mercedibus discipulorum attinebat ad h. l. adscribere: præsertim cum ad oram libralia notavit Politianus, ex cujus obscuris notis quantum profecerit Bayffius, Crinitis, Budæus & alii, qui eas legerint, non se scrutari, ait doctis. Augustinus.

II.

Quas completus annus deberi fecisset.] Vel hic locus Macrobbii monere eum debuit, ne contra juris præcepta & rationem scriberet, initio locationis mercedem deberi.

III.

Tuitione Prætoris, ut Africanus ait.] Neque hoc dicit Africanus: Et aliud est cum tuitione Prætoris aliquid valere dicitur, quod ipso Jure aliàs valere non posset.

IV.

Quia Prætoria pactio est.] Mirifica ratio! Imo cur tueatur locatorem in proposita quæstione Prætor, rationem longè aliam Africanus ipse profert.

V.

Non etiam actio antè Calend. Julias, qui dies est inchoanda locationis hoc loco, non dies finitæ, &c.] Sentit ergo Interpres initio locationis agi & peti mercedem posse, quod falsum est; finito enim quoquo anno debetur.

B 2

Oblis

V I.

Obligatio statim nata est, non etiam actio.] Imò & actio statim nata est, & antè diem, nisi si ageretur de re ad heredes non transitura, puta usufructus.

V I I.

Nec enim migrabant anno completo, sed quinquennio, quod soleant in quinquennium locationes fieri.) Quid hoc ad rem pertinet? quasi non aliter conveniri possit ac soleat.

I I X.

Sic erat conditio collata in casum vel in potestatem stipulatoris.] Maximis difficultatibus hæc Quæstio obsepta est: quarum nullam ne attigit quidem Interpres noster, facilia quæque solitus explicare, totoque in iis ingenio vehi. Inprimis quod de stipulatore adjicit, falsum nobis videtur.

I X.

Stipulator conditionalis sit Creditor.] Sed impropriè. Verè enim & propriè Creditor non est, quod rebus innumerabilibus doceri potest.

X.

Conditio stipulationis retrahitur: Conditio legatæ retrò non trahitur.] Vel hoc responso Africani convincitur, falsam esse hanc differentiam, in quo legatarius sub conditione exæquantur creditori vel stipulatori itidem sub conditione in hac ipsâ re.

X I.

Ex quo multa differentia sequuntur, in jure in v. legata & stipulationes.] Unum tantum hîc attulit de retractione, eamque falsam, ut ex principio falso, ut supra dictum.

X I I.

A qua excipitur mulier, qua de dote sua agit.] Imò Creditor

ditor quivis expressam priorem hypothecam haberi, mu-
li eri posteriorem, etiam expressam habenti, præfertur, li-
cèt vexatissima sit hæc Quæstio,

XIII.

Ædes refectæ sint.] Quod de ædibus refectis scriptum
in Jure est, idem ad naves vel alterius rei refectionem per-
tinere, doctis. Jurisconsulti docent, quod & verius vi-
detur.

XIV.

Tacitum non habeo.] Contrariam sententiam defende-
runt Angelus, Baldus, & alii, à quâ etiam non se audere re-
cedere ait Jason. (Noster autem Interpres nec verbulo eo-
rum rationes refellit, aut suam, quæ Doctorum opinio est,
munit.)

XV.

Nisi pupillus sim, aut nisi emptor solvendo non sit. Nam si
hoc casu in subsidium habeo rei emptæ utilem actionem, &c.
Petit quod probare debuit. nos enim negamus hoc, & lex,
quam allegat, in speciali casu de pecunia ab uxore donata
loquitur, ex qua maritus res aliquas emit, quod ad alios
(ut noster fuit) trahi non debet, non magis quam illud, *Res
pecuniâ mulieris emptas dotales videri.* l. res. ff. de jure dot.

XVI.

*Nam dominium ejus rei acquirit emptor cum hac causâ,
ut mihi sit nexa pro pretio, l. i. §. ult. & l. seq. ff. De reb. eor. qui sub-
tut.]* Obscuram & magnam (ut ipse ait) quæstionem deci-
di non oportuit ex legibus multo obscurioribus, imò quæ
potius in contrarium faciunt.

XVII.

Fieri videtur contractus implendi pignoris causâ.] Cum
pigno-

pignoratitius contractus sit mera accessio alterius, & ad confirmandum eum solum instituatur, absurdum videtur, dicere, principalem contractum accessionis suæ implendæ causâ fieri.

X I I X.

Numerationem fieri implendæ stipulationis gratiâ, que præcessit.] Perperam hoc ad pignoris causam adcommo- datur. Neque enim verum est, quod initio clarius posuit, stipulationem, sicut pignus esse aliarum obligationum ac- cessionem, &c. Pignus vel fidejussio nunquam est contra- ctus principalis, neque per se stare potest. At stipulatio contra.

X I X.

Ad §. si Titia.

Sive debitor ei solverit, sive posterior creditor &c. posterior subit locum primum &c.] Falsum est, si debitor solvit: Verum, si posterior creditor.

X X.

Et potior est, non in eâ tantum quantitate, quam credidit, sed etiam in omni quam solvit priori.] Adde, etiam in solutis usuris, & (quod mirum videretur) agere, etiam contra debi- torem potest de usuris usurarum. Sed hoc in extraneo, hoc est, non creditore verum est, vel alio, l. 2. C. de his qui in pr. Creditor. loc. l. §. 12. sciendum ff. h. t.

X X I.

Illud summè notandum est, posteriorem Creditorem solven- tem priori, in ejus locum succedere, semper quidem & indistinctè in eâ quantitate, quam solvit priori: sed in ea, quam ipse credi- dit, si alius antè eum Creditor sit, nullo modo in primi Creditoris, cui solvit, locum succedit, l. querebatur. ff. h. t. Ex quo apparet, quam

quam rectè Interpres noster non solum hoc non distin-
xerit, sed ita scripserit, non in eâ tantum quantitate, quam
credidit, sed etiam in ea, quam solvit priori. Cum contra
ita debuisset, non in ea tantum quam solvit, &c.

XXII.

*Scienti creditori solum retentionem in l. i. ff. de pign. à Papi-
niano dari putat, non actionem.* At Papinianus. Difficilius
actio dabitur.

XXIII.

Nobilissimum *ἐναυλοφάρες* inter L. rem alienam, de
pign. act. & l. Titio, ff. de pign. pessimè conciliat præ cæte-
ris, omnibus Interpp. V. lib. 19. Observ. §. 26.

XXIV.

Et generaliter, hæc ratio antinomias conciliandi ipsi
familiaris, quâ distinguit inter tempora Juriscons. prorsus
absurda est, & contra apertissimas Justiniani Institutiones.



AD NOBILISS.

WOLFGANGUMERICUM
à Brandenstein, Eq. Misn.

Brandensteiniade, prisca decu' stemmatis, ortu
Fulcrum Senatus qui cluet Septemviri
Saxonis, Heroe eximio, quem suspicit Aula,
Amat colitq; quanta quanta est MISNIA;
O ERICE; Tibi decrevit prima brabeia
Ocellus Aonidum & Themistos LIPSIA,
Alteramat à SALÆ laurum cum laude Lyceo
Promeritus omnium tulisti calculo:

Tertia

Tertia nunc lato Te exercet agone Palestra
ALTORPHII, GENTILI agonothei à optumo.
Ecquis erit tandem finis, quæ meta laborum,
Tropæa statuendi? Juventa floride
Flore viges. Ecquis stimulos tibi subdit, HONORIS
Zenith ut adfectes? Tua eruditio
Astrapetit. Tanto patre næ dignissima proles,
Patriæq; lumen ô future maximum,
Quis lateri adpositus tibi vellicat epodiontis:
Aurem? cedó. SITZMANNUS ille strenuus
Officii monitor, quem è multis millibus unum
Sagax PARENTIS cura delegit virum.
BRANDENSTEINIADAS nobis da, MISNIA, plureis,
Ita vovet ALTORPHINA conceptis Schola
Verbis: CHRISTOPHORUM Carlum mirata, recenter
De Jure doctè differentem: quem sequi
Ponè videt Fratrem ERICUM: fratremq; videbit
Post CHRISTIANUM paria patrantem. Obenè
Factum! Brandensteiniadas bis quinque Lyceum
Altorphii habeat: Amplius malit nihil.

Moris & amoris ergò

GEORG. REMUS J. C. F.

FINIS.

Handwritten text at the top left edge of the page.

Handwritten text at the top center edge of the page.

01 A 6518

ULB Halle 3
 002 937 514




VD 17

Wiso ✓

Handwritten text at the bottom center edge of the page.





XIX.
SCIPIONIS
GENTILIS
JURISCONS.
DISPUTATIONVM
AD
AFRICANUM
UNDECIMA,

Ad L. qui balneum, D. qui potiores in pign.

De quâ

A. D. O. M.

publicè respondebit

WOLFGANGUS ERICUS
à Brandenstein, Eq. Misn.

*In celeberrima Noribergensium Academia, quæ est Altorfii,
Mense Jun. Die XXV.*

ANNO

MDCCXI.

NORIMBERGÆ,

Typis Abrahami Wagenmanni.